Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35185
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar

pristinam loquelam reciperet. Inter hec verba superveniens
regina audierat enim regem positum in merore
que ut doloris causam cognovit consiliumque circum-
spectio se offert regi dicens quia ipsa lucinium in suo
reciperet thalamum exhiberetque ei quicquid consuleret
spondetque ei lingue officium redditurum. Confortatus
vero rex bonum iudicat consilium amantis gratias et ob-
lato officio offert regine. Iuratque per deos suos quod si hoc
efficere posset regnum proprium dimidiabit. Tradidit
ergo regine lucinium. Mandavitque regibus et principibus
quod ipse preditus negociis filium usque in septimum non
posset coronare

24. Regina autem susceptum lucinium suis virginibus
sociavit summa cura laborans ut quod regi
promiserat effectui mancipareret. Elegit ergo
ex tota civitate virguncularum pulcherrimas que
propriis vocibus musicisque instrumentis canere nossent
hasque suis virginibus copulavit precipiens omnibus
ut decenter ornate lucinio die noctuque insisterent
eumque quibuscumque possent modis ad leticiam et ad ri-
sum verius provocaret. Nullam virginalis pudor
retraheret nulla ibi simum nullaque gremium prohibet.
Ille vero late sericate colorate virgines variis
delinite amicte splendidis preciosisque vestibus lu-
cinio ut preceperat regina assistebant ministrabantque
ei et nunc quidem illum dulci cithare sono nunc
modulis vocum amatoriis verbis. Nunc amplexibus